

## CAPVT XI.

## De Deo.

I.

**A**N sit Deus? Affirmatiuam suadent singula capita Scripturæ, singulæ creaturæ, singulæ nationes, singulæ denique politia, œconomia, scholæ.

2. *An Deus habeat nomen?* Ab æterno non habet nomen literis & syllabis expressum: sed in tempore illud in vsum populi sui expressit, idq; non vno modo.

3. *An sint decem tantum nomina DEI Hebraica, prout illa commemorantur ab Hieronymo?* N. Sunt enim & alia: licet decem ista sint præcipua.

4. *An nomina DEI, quæ apud gentiles occurrunt, sint probanda?* Quædam sunt; quæ nempe consentiunt cum S. literis.

5. *An Iehoua, Iah, & Eheieh sint nomina DEI essentialia?* Sic vsitatè dicuntur, quod merum esse, seu solam Dei essentiam, ob oculos ponant: non quod totam essentia rationē (illa enim est ἀκατάλεπτος) exprimant. Quod attinet ad reliqua DEI nomina, vt sunt Elohim, κύριος & illa non sunt essentialia, sed nec accidentalialia, verum attributiuæ.

6. *Quid*